

tamen huic legi fatale fuit. Tantaе molis erat Iudaeam tollere legem!

## §. 14.

Abrogato itaque Vetere, fanciebatur Novum Foedus, quod in locum Veteris successit, priori tum ob innumeras causas, quae ipsi principatum deferunt, tum vel imprimis ideo longe praefendum, quod non, ad exemplum Veteris abrogandum, sed firmum, immobile, atque inconcussum perpetuo mansurum est. Idque Paulus, divinitus edoctus, ex voculis illis Haggaei *ἐτι ἀπαξ* invicta ratione deducit, hoc quidem modo. Novi foederis sanctio per omnia similis esse debuit V. T. consecrationi; ideoque & terrae motus in ea expectandus, ne quid summae similitudini deesset, a Deo praedictus est per Haggaeum. Si vaticinium illud spem hominum fefellisset, & motus ille coeli terraeque novae sanctiois *χαρᾶν ἡρισκός* in morte Christi defuisset, dubium foret, num sanctio illa tam sancte tamque religiose a Deo olim promissa, iam iam peracta sit nec ne. At peractum esse testatur motus ille gravissimus in morte Iesu tot Iudaeis, undiquaque ad celebrandum Pascha in urbe congregatis, tot gentilibus, qui partim ob Romanorum in Iudaeam imperium Iudaeis magno numero mixti erant; partim Herodum superbia, liberalitate ac magnificentia, magna spe mercedis allectati, Hierosolymis degebant, iis enim temporibus ibi & Thracas, & Gallos, & Germanos (1) fuisse constat; partim denique sub Praefide illius provinciae stipendia merebant, tot inquam Iudaeis, tot gentilibus in Iudaea, tot denique gentibus extra eandem, ut antea evictum est, observatus. Si novum hoc foedus, aliquando abrogandum,

(1) IOSEPHVS de B. I. lib. I. cap. extremo pag. 774.